




SIGILLVM · VNIVERSITATIS · CALIFORNIENSIS
LVX
FIAT
MDCCCLXVIII
EX LIBRIS

Patri carissimo
Joann. Theophil. Schleicher.

MELETEMATON VARRONIANORVM

SPECIMEN I.

SCRIPSIT

ET

AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORVM ORDINE IN VNIVERSIT. FRIDERICIA GVILELMIA RHENANA RITE IMPETRANDOS

VNA CVM SENTENTIIS CONTROVERSIS

DIE X. MENSIS IANVARII A. CIↃIↃCCCXXXXVI.

PVBLICE DEFENDET

AVG. SCHLEICHER

SOLIMONTANVS.

ADVERSARIORVM PARTES SVSCIPIENT

LEOP. VAL. SCHMIDT, SEMINARII PHILOLOGICI SENIOR.
IAC. BERNAYS, SEMINARII PHIL. SODALIS.
MAXIM. ENGER, STVD. THEOL. CATHOL. ET LINGG. ORR.

BONNAE,
FORMIS CAROLI GEORGII.
CIↃIↃCCCXXXXVI.

Varronis scripta cum eo potissimum consilio perlegerem, ut inuenirem quod cum linguis cognatarum gentium collatum atque earum ope illustratum scribendi argumentum suppeditaret — e Latino enim campo fructum decerpere erat in uotis — cumque post grammaticum hominis πολυγραφωτάτου opus ad libros de re rustica deuenirem, accidit ut de grammatica materia, quam eligerem, adhuc dubius, in aliam inciderem quae, etsi a grammaticis studiis me abducere uideretur, tamen suis quibusdam illecebris ad deflectendum incitaret. Singulare enim me movit Varronis artificium, quo ille personarum in iis libris nomina rebus *), de quibus exponitur, uisus est accommodare: idque eo magis, cum eam rem Gesnerus et Pontedera **) tantum non praetermiserint, reliqui interpretes, quantum equidem compertum habeam, prorsus neglexe-

*) Similem Varronem sibi scripsisse legem in Logistoricis ingeniose, ut assolet, demonstrauit cl. Ritschelius ante scholarum indicem in hac nostra uniuersitate per menses hibernos a. CIↃIↃCCCXXXXV habendarum.

**) Gesner. (scriptt. rei rust. 1773. praef. § IV) „collocutores etiam et personas quasi ludi sui deligit (Varro) quorum nomina ad res, de quibus agitur, apte cadant.“ Schneiderus, (Scriptt. rei rust. 1794. Tom. IV. pr. post. p. 29) e Pontederae epistolis et dissertt. postum. ab I. A. Bonato editis Patauii 1791 affert coniecturam satis insulsam ex qua Laenatem (Varro r. r. II, 1, 1.) ille scribit pro Maenate, quo melius Laenas a laena seu lana dictus conveniat cum reliquis nominibus Vaccii, Murrii (quem a mure uel murino colore nomen accepisse censet), Scrofae, Vituli.

rint. Quid? quod loca etiam ac tempora, quibus hos sermones habitos facit, ad argumenti rationem adaptasse scriptorem Vrsinus et Pontedera intellexerunt: qua quidem in re recte eos sensisse suo loco uidebimus.

Ita autem aggrediendam duco disputationem, ut exordium fiat ab artificiosa librorum nostrorum compositione: quam quidem primum in temporum locorumque, deinde etiam in personarum delectu agnoscemus. Ipse autem disserendi cursus aditum parabit ad alteram quaestionis partem, quae est de ratione qua in recensendis his Varronis libris utendum esse arbitramur et de codicum manu scriptorum fide ac generibus. Tantum de satis leuidensi hac opella praefari par est, eam nonnisi eius campi conspectum quendam et quasi lineamenta exhibere, cuius singula quaeque loca, fortuna his studiis fauente, posthac accuratius perscrutari in animo est.

Quod attinet temporum locorumque cum re coniunctionem, de primo quidem libro dubitatio nulla esse potest. In hoc enim qui sunt de *agricultura* (I, 1, 11.) sermones scriptor uult habitos esse in aede *Telluris* et *sementiuis* quidem feriis (I, 2, 1.). Quo tamen et loco et tempore conuenerint ii, qui in secundo libro confabulantes inducuntur, propterea non plane liquet, quod post prooemium huius libri pars non ita exigua in omnibus deest codd. Quamuis igitur aperto destituti testimonio, tamen probabili ratione Vrsinus et Pontedera existimant uerisimile esse hos de *re pecuaria* (I, 1, 11.) sermones habitos esse *Palilibus*, ut sementiuis feriis illos de agricultura: cfr. II, [illegible] 1. Sed cum huius loci nec sententia plana sit nec sat certa scriptura, accedamus ad alterum (II, 8, 1) ubi haec reperiuntur: „cum haec loqueremur, uenit a Maenate libertus, qui dicat liba absoluta esse et rem diuinam paratam, si uellent, uenirent illuc et ipsi pro se sacrificarentur" *). Liba uero

*) Pontedera quoque (apud Schneider. l. l.) dicit Palilia eo die celebrata fuisse licere coniicere ex mentione festi diei, facta a liberto Laenatis (Maenatis).

Palilibus offerebantur (Ouid. Fast. IV, 743; Plut. Romul. XII.) et pastores una cum gregibus expiabantur (Ouid. Fast. IV, 727. 747 sqq. Dion. Halic. I, 88.) quo spectant uerba: „ut ipsi pro se sacrificarentur.“ Pastores autem appellantur ab ipso Varrone (II, 1, 2) Atticus, Cossinius, Murrius, Vaccius, quaeque de his ualet denominatio non minus apta est Varroni (II, prooem 6), Scrofae (I, 2, 11. II, 4, 3.) Lucieno (II, 5, 1. συνηπειρῶται, ergo et ipse Lucienus est pastor semigraecus [II, 1, 2] cfr. praeterea II, 7, 1.) qui omnes et pecuarias possidebant et artis pecuariae erant peritissimi. Cum uero constet una cum pastoribus greges quoque sacris interfuisse (cfr. Ouid. l. l.) etiam de loco, quo habitum sit colloquium dum sacra parentur, ita erit statuendum, ut prope gregum stabula pastores conuenisse putentur, quae res optime quadrat in libri argumentum, quod est de re pecuaria: nisi cum Pontedera arbitramur „ut disserentes de agricultura libro primo in aedem Telluris, de uilla autem libro tertio in uillam publicam in campo Martio conuenerant, ita nunc, qui de pecore loquuntur, ad Palis aedem conuenisse.“ Tertius liber, qui est de *uillaticis pastionibus* (I, 1, 11.) sermones continet, quos habitos facit Varro in uilla (III, 2, 1.) idque aperto consilio est institutum: tempus autem huic colloquio consentaneum non inuenisse uidetur. Attamen uidimus Varronem, quantum eius fieri potuit, tempora et loca ad rei rationem accommodasse.

Venio ad personas quibus hi libri sunt inscripti. Primus de agricultura liber ad *Fundaniam* uxorem est datus, cuius nomini *fundi* uocabulum consulto bis iungit Varro (II. prooem. 6. „propter eius fundum.“ I, 1, 1. „quoniam emisti fundum“.) ut sentiat lector eam quae inter fundum et Fundaniam intercedit similitudinem. De Fundaniorum familia posthac pauca erunt dicenda. Animaduertendum autem est Varronem ita rem instituere, quasi qui omne opus Fundaniae uelit esse proprium, ait enim: (I, 1, 4.) „quocirca scribam tibi tres libros indices“ et (ibid. § 11.) „quo breuius de ea re conor tribus libris exponere, uno de agricultura, altero de re pecua-

ria, tertio de uillaticis pastionibus.“ Postea tamen mutato consilio, neutiquam uero correctis libri primi uerbis reliquos duos libros aliis personis mandauit, secundum Turranio Nigro, Pinnio tertium. Hunc *Turranium* eundem esse puto atque D. Turranium qui apud Ciceronem (ad Att. I, 6, 1. ed. Orell.) commemoratur ut comes Q. Ciceronis, quemque M. Cicero hominem χρηστομαθῆ appellat. Praeterea nominatur ibid. VI, 9, 2. 3. VII, 1, 1. Variae exstant nominis formae, Turranius, Turrannius, Turannius: quam uarietatem facile intelligitur inde ortam esse, quod antiquitus litteram geminam non scripserunt Romani. Alii Turannii hic illic reperiuntur apud ueteres: Gruteri inscriptionum corpus permulta ex hac gente continet et mulierum et uirorum nomina, interque ea nescio quem A. Turranium Nigrum. Cum secundi libri argumento etsi non congruit Turranii nomen: tamen et amicitia singularis quae intercessit inter hos uiros et insigne studium rei pecuariae, quod fuit in Turranio, Varronem permouerunt ut hunc sibi eligeret. Ita enim quodammodo excusare uidetur inconstantiam (II, prooem. 6). Tertius liber qui est de uillaticis pastionibus et praecipue de auibus inscriptus est *Q. Pinnio*, cuius nomen quin Varroni sit deriuatum a pinnis non est dubium. Pinnium et uicinitate et amore sibi esse coniunctum uillamque possidere dicit III, 1, 9. 10. Itaque ad nominis significationem aliae accedebant causae cur ei mitteret librum tertium. Praeter Varronem nulla uidetur exstare Q. Pinnii memoria, videsis tamen T. Pinnium apud Ciceronem (ad. Fam. XIII, 6.) et Pinniorum Pinniarumque haud rara nomina cum in Gruteri tum in Muratorii inscriptionibus. Gens igitur Pinnia haud obscura fuisse uidetur.

Quos in primo libro colloquentes facit Varro sunt hi: *Agrasius*, *Agrius*, *Fundanius*, *Fundilius*, *Stolo*, *Scrofa*, e quibus quinque priorum nomina apparet quam sint rei accommodata. Quid de Scrofa statuendum sit, postea uidebimus.

P. Agrasius publicanus pauca tantum profert, qua in re socios habet complures ex iis qui nominis causa, quasi ad

ornatum uidentur a Varrone asciti: alii, quos nonnisi propter rei rusticae scientiam, qua pollebant, adhibuit, multa eaque docta enarrant. In primo libro longe plurima docent Scrofa et Stolo. De Agrasio prorsus incomperta res: praeter Varronem enim apud Gruterum semel, bis apud Muratorium hoc nomen legi.

Neque minus obscura *C. Agrii* equitis R. Socratici memoria, qui rei rusticae quidem quamvis parum gnarus (I, 12, 2. 5, 1.) naturalis tamen scientiae haud rudis videtur fuisse (I, 5, 1.) animumque excoluisse peregrinando (I, 2, 3.). Eiusdem gentis homines pauci in inscriptionibus reperiuntur.

C. Fundanius socer Varronis aduersa ualetudine uidetur fuisse tunc temporis (I, 2, 26. 27. cfr. I, 2, 5.). Hunc eundem esse demonstrauit cl. Ritschelius in libello supra laudato atque Gallum Fundanium siue Fundanium Gallum cui inscriptus est logistoricus de Admirandis. Fundaniae gentis plebeiae complures commemorantur homines inter quos C. Fundanius C. F. Q. N. Fundulus, a. u. 505 tribun. pleb., paullo post Aedil. pleb., qui Consul a. 511 contra Barcam in Sicilia pugnavit: M. Fundanius Fundulus a. 541 Aed. pleb. M. Fundanius a. 559 trib. plebis de quibus exponit Glandorpius in Onomastico et accuratius Haakhius in Paulii „Realwörterbuch" s. v. Fundanius. De Fundaniis qui apud M. Ciceronem in epistolis ad Quintum fratrem datis, in bello Hispaniensi, apud Q. Ciceronem (de pet. Cons.) commemorantur deque necessitudine quae intercedat cum inter illos ipsos tum inter eos et nostrum ad certum equidem iudicium nondum perueni.

L. Fundilius aedituus Telluris conuocauerat ceteros (I, 2, 1. 2.) sed accersitus ab aedile, apud quem huius templi erat procuratio, reliquerat hospites in aede ut se exspectarent. I, 69, 2. narratur a liberto percussum cultello concidisse Fundilium nec multo post, domum sublatum, animam efflauisse. Haec sunt quae de hoc Fundilio indagare potui omnia. Alios huius gentis commemorant Glandorp. et inscriptiones.

Licinius Stolo Stolonum confirmasse dicitur cognomen,

quod nullus in eius fundis reperiri potuerit stolo (I, 2, 9.): diligentissimus ergo fuit agrorum cultor. De Licinia gente nobilissima deque Stolonis maioribus a quibus leges agrarias latas esse nemo nescit (cfr. I, 2, 9.) non est quod plura hic addantur.

Qnamuis nominis habita ratione ad secundum potius quam ad primum librum pertinere uideatur *Cn. Tremellius Scrofa*, tamen in primo iam libro plurima profert. Vnum hunc Scrofam duobus libris tribuit Varro, is enim omnium erat longe doctissimus agriculturamque una cum arte pecuaria perquam callebat (II, 1, 2.), ita ut in libro de agricultura eo carere prorsus nullo modo posset. E Cicerone (Verr. Act. I, 10, 30.) summa religione et diligentia fuisse eum hominem constat: tribunum militum designatum a. u. 684, iudicem in causa Verrina. Exercitum quoque duxit in Gallia transalpina (I, 7, 8) Varronisque collega fuit in uigintiuiratu ad agros dividundos Campanos (I, 2, 10.). Propraetorem eum fuisse in Macedonia e Ciceronis (ad Att. VI, 1, 13.) loco coniicit Pighius (annal. magistr. ad ann. DCCII, DCCIII. cfr. ibid. ad ann. DCLXXVI): nobis incerta res. Attici quoque et Ciceronis familiaris erat Scrofa (Cic. ad. Att. VII, 1, 8. V, 4, 2. VI, 1, 13.). Non solum omnibus uirtutibus politus (I, 2, 10.) sed etiam de agricultura existimatus Romanus peritissimus appellatur (Colum. I praef. 32. Plin. 17, 23.) Luciliique Hipri magister (II, 1, 2.). Fundi eius eximie erant culti, Varronisque aetas rerum rusticarum omnium palmam ei deferebat (II, 1, 11.) quippe quem se πολλὸν ἀμείνω iudicet Varró (II, 1, 2.). Scrofa et ipse de re rustica (Col. I, 1, 12.) scripsit librum. Columella ita cum Varrone rerum rusticarum scriptore iungit Scrofam, ut appareat aequales eos fuisse. Dubium ergo nullum esse potest, quin apud Columellam qui laudatur idem sit atque hic noster. Citatur eius opus haud raro a Columella (I, 1, 1 et 6. II, 1, 4. 10, 8. 14, 3. III, 3, 2. 11, 8. 12, 5. V, 6, 2.), qui de hoc Scrofae libro sic iudicat: reddidisse eum agricolationem eloquentem (Col. I, 1, 12.): plurima rusticarum rerum praecepta simul ele-

ganter et scite memoriae prodidisse, illectum tamen nimio fauore priscorum de simili materia disserentium in errores quosdam incidisse. De Scrofae cognomine uberius ut assolet disserit Varro (II, 4, 1.): aliam eius nominis originem narrat Macrob. Sat. I, 6. p. 232 ed. Zeun. Qui apud Ciceronem (ad Att. XIII, 21, 7) exstat Tremellius Scrofa huius filius esse uidetur.

Secundi libri sunt praeter eum, quem iam nominauimus *Scrofam* (qui II, 4, 1. de re suilla exponit, ratione cognominis habita) *Atticus*, *Cossinius*, *Lucienus*, *Murrius*, *Vaccius*.

Hi omnes praeter Scrofam in Epiro magnas habuerunt pecuarias (Epirotici, pecuarii athletae [II, 1, 2. 5, 1.]: *χαίρετε συνηπειρῶται* salutantur a Lucieno). Ne mirere igitur in secundo libro eam, quam de nominibus supra statuimus legem uideri infractam: Epiroticos enim pastores in unum quasi corpus comprehensos huic libro tribuit, ita ut una cum Attico et Vaccio, quorum nomina argumento consentanea primum fortasse Varronis animum ad se conuerterunt, reliquos quoque, ut rei uillaticae aeque peritos hic asciscendos iudicaret. Praeter Lucienum, qui post alios ad colloquium accedit (II, 5, 1), secundi libri integra nomina non sunt tradita, desideratur enim in omnibus codd. ea libri pars, in qua sine dubio olim exstiterunt haec nomina: nam ubi primum nominandae sunt personae accurate eos describit Varro in reliquis libris (cfr. I, 2, 1. 9. III, 2, 2.).

De *T. Pomponio Attico* omnibus noto pauca dicere satis erit. Attici cognomen a Varrone manifesto deriuatur ab ouibus Atticis: haec est causa cur de ouibus exponat Atticus (II, 2) et de canibus, quibus illi praesertim opus habent qui pascunt pecus lanare (II, 9.) Ipse Varro oues Atticas ut optimas commemorat (II, 2, 18.) ut facile intelligat lector Attici cognominis uim et significationem. De ouibus Atticis cfr. praeterea Plut. *περὶ τοῦ ἀκούειν* p. 42 *ὁ δ' εὐθὺς ἐξ ἀρχῆς μὴ τοῖς πράγμασιν ἐμφυόμενος ἀλλὰ τὴν λέξιν Ἀττικὴν ἀξιῶν εἶναι καὶ ἰσχνὴν ὅμοιός ἐστι μὴ βουλομένῳ πιεῖν ἀντίδοτον ἂν μὴ τὸ ἀγγεῖον ἐκ τῆς Ἀττι-*

κῆς κωλιάδος ἢ κεκεραμευομένον μηδὲ ἱμάτιον περιβαλέσθαι χειμῶνος, εἰ μὴ προβάτων Ἀττικῶν εἴη τὸ ἔριον.

Cossinius (II, 3. 11, 11.) de re capraria et (II, 10.) de pastoribus exponit. Huius Cossinii pater uidetur esse L. Cossinius Tiburs qui damnato T. Caelio ciuis Romanus est factus (Cic. pro Balbo 23, 53.). Ipse est idem, qui laudatur apud Ciceronem (ad Att. I, 19, 11. „ualde bonus homo et non leuis et amans tui“ [Attici]: ibid. I, 20, 6. II, 1, 1. „graecis literis admodum studiosus“.). Eo se ualde familiariter uti dicit Cicero (ad Fam. XIII, 23, 1.) hanc familiaritatem Atticum augere, totam Cossinii domum se diligere, imprimis eius libertum L. Cossinium Anchialum quem Seruio Sulpicio ualde commendat. De Cossinio mortuo Cicero: (ad Att. XIII, 46, 4. a. u. 709) „doleo“, inquit „dilexi hominem“ *).

De *Q. Lucieno* Senatore, „homine quamuis humano ac iocoso“ (II, 5, 1.) admodum pauca sunt tradita. Neque Glandorpius neque Gruterus nec Muratorius Lucieni nomen exhibent. Nisi duobus locis (II, 5, 1. 18.) de codd. scriptura nihil esset annotatum, mendum huic scripturae inesse crederem, praesertim cum ad II, 7, 1. Politianus afferat *Lucinius* e codd.. Orellii onom. Tull. s. h. v. haec habet: „uide ne idem sit, qui ad Attic. VII, 5, 3. uocatur Luscienus.“ At cum nec bonorum codicum auxilio adiuuemur, neque aliunde de hoc homine compertum sit, certi nihil potest statui.

Neque de *Murrio* satis multa sunt cognita. II, 6. haec profert: „Ego de asinis potissimum dicam, quod sum Reatinus (Varronis ergo fuit popularis) ubi optimi et maximi fiunt“. Cfr. II, 8.: Murriae **) gentis uestigium nullum apud Glan-

---

*) Haud pro certo affirmauerim ad Att. I, 19, 11. 20, 6. II, 1, 1. XIII, 46, 4. de Cossinio patrono dicta esse; possunt enim etiam de liberto intelligi, cuius tamen accuratiorem exspectauerim significationem.

**) Pontedera in epistt. et dissertt. postum, apud Schneid. Tom. IV pr. post. p. 29 a mure uel murino colore dictum esse uult

dorpium, apud Gruterum tamen haud pauci eius nominis reperiuntur.

Vaccium quo consilio de bouibus faciat disserentem, ipse dicit Varro II, 5, 2.: „in quo quidem, inquit Vaccius, meae sunt partes, quoniam boues ibi.“ Glandorpius, Muratorius, Gruterus de Vaccia gente tacent neque ullum eius nominis uestigium indagare potui. Vaccus tamen, Vacia, Vaccia ut cognomina a Glandorpio exhibentur. Fortasse apud Varronem quoque non est nomen, sed cognomen.

Transeamus ad librum tertium. Comitiis aediliciis in uillam publicam cum Axio se confert Varro, ubi conuenit Appium (III, 2, 1. 2.). Sedebat ad sinistram ei Merula et Pauo, ad dextram Pica et Passer. Axius Appio subridens: Recipis nos, inquit, in tuum ornithona ubi sedes inter aues, etc. Ad hos homines accedit, quem ut nuntium in fine libri uenire uidemus, Parra. Ex his unius Axii nomen non congruit cum argumento, qua de re quid sit statuendum postea exponetur.

Appius Claudius augur (III, 2, 1.) est notus ille ex Cicerone *Appius Claudius Pulcher*, App. Claud. Pulch. F. C. Claud. Pulch. et P. Clod. Pulch. frater, cuius familiarissimus nominatur Varro a Cicerone (ad Att. III, 7, 4.). De uariis rebus apud Varronem disserit Appius, e III, 16, 2. 3. uero cum apibus conferri eius nomen a Varrone cognoscimus. Plura de hoc homine quam huic libello conueniant, uidesis apud Paulium in „Realwörterbuch“ et in Orellii Onom. Tull. A. u. 700. Consul erat Appius cum Dom. Ahenobarbo, 701 Ciliciam prouinciam obtinuit, e qua Romam reuersus 703, 704 Censor factus est. 705 tamen Caesare appropinquante Pompeium secutus in Graecia mortuus est 706, fere decennio ante quam hi libri de r. r. sunt conscripti. At aliud quid hic uidetur esse inserendum, utpote quod cum Appii persona cohaereat.

Murrium, quam ineptam huius nominis interpretationem refutatione egere non puto.

Appius enim III, 2, 3. haec dicit Axio: „Ego uero te praesertim (recipio), cuius aues hospitales etiam nunc ructor, quas mihi apposuisti paucis ante diebus in uilla Reatina ad lacum Velini, eunti de controuersiis Interamnatium et Reatinorum. Conferamus de eadem re disputantem Ciceronem (ad Att. IV, 15, 5.): „His rebus actis Reatini me ad sua τέμπη duxerunt, ut agerem causam contra Interamnates apud consulem et decem legatos, quod lacus Velinus, a M'. Curio emissus, interciso monte, in Narem defluit: ex quo est illa siccata et humida tamen modice Rosia. Vixi cum Axio. Quin etiam me ad Septem aquas duxit. Redii Romam Fonteii causa a. d. VII. Idus Quint." Hanc epistolam a. u. 700 scriptam esse constat. Eodem anno cum Dom. Ahenobarbo Appius fuit consul. Ipsum Appium esse consulem, de quo Cicero loquitur, ex Varroniano loco concludere licet. Cum una cum magistratu licuerit auguris munere fungi, non est mirum Appium ut augurem hic commemorari, quo eodem tempore alter Consul comitiis interfuit. Tempus ergo, quo Varro hos sermones habitos fecit, accurate est definitum Ciceronis uerbis. Cum tunc temporis cum Appio reconciliatus fuerit Cicero (Cic. ad Q. F. II, 12, 2. 3. ad Fam. I, 9. 4. pro Scauro, 2, 31.) perquam ueri est simile eum una cum Appio apud Axium deuersatum unaque Romam reuersum esse. Hac ratiocinatione ductus aut primo die aut secundo *) post reditum id est a. d. VI. aut V. Id. Quint. a. u. 700 hos sermones habitos fingi a Varrone puto. Eidem anno duos reliquos libros quin adscripserit Varro dubium non est, cum apte sese excipiant. Ad quas enim primus liber refertur feriae sementiuae exeunte hieme post sementationem (Ouid. Fast. I, 661.) diebus haud certis (erant enim conceptiuae feriae) celebrabantur, tum sequuntur haud ita multo post qui Palilibus (i. e. a. d. XI. Cal. Mai.) tribuuntur

*) Nam paucis ante diebus comedisse se dicit Appius ab Axio appositas aues, tam breui temporis spatio interiecto, ut eas ructari adhuc sibi possit uideri.

secundi libri sermones: agmen claudit tertius liber, et argumenti et temporis habita ratione. Magnum ergo, annorum scilicet circiter XVI interiectum est spatium inter hoc quod modo explorauimus tempus operisque confectionem.

Qu. Axio senatore familiarissime usus est Varro (III, 2, 1.). Propter eam rem, et cum insuper rei uillaticae admodum fuerit ille studiosus (III, 2, 18.) duasque uillas possederit (III, 2, 9.) non potuit quin eum, uel nomine minus apto praeditum in colloquium reciperet. Facile enim potuit accidere, ut aegre ille ferret se talium minutiarum causa esse neglectum. Idem Axius fenerator uidetur fuisse (Cic. ad. Att. I, 12, 1.), Ciceronis perfamiliaris. Tiro conscripsit epistolam ad Q Axium, patroni sui familiarem (Gell. Noct. Att. 7, 3, paullo post init.) et apud Sueton. (Suet. Caes. 9.) exstat epistolae cuiusdam Ciceronianae ad Axium frustum. Ipse (Cic. ad. Att. III, 15, 3.) Ciceroni scripsit (a. u. 696.) cuius debitorem fuisse Axium (Cic. ad. Att. X, 11, 2) scimus. Cum Axio, ut ex Varrone (III, 2, 3) colligere licet in eius uilla Reatina uixit Cicero (Cic. ad. Att. IV, 15, 5) cum in Reatinum se contulisset propter Reatinorum Interamnatiumque controuersias (a. u. 700) in qua ipsa uilla Appium quoque eius anni consulem ob eandem Reatinorum causam Roma profectum exceperat Axius (III, 2, 3.) una fortasse cum Cicerone. Nominatur praeterea Axius haud raro apud Ciceronem (ad Att. X, 13, 2. 15, 4.). Axiae gentis complures homines exhibent Gruterus et Muratorius.

L. Cornelius Merula, consulari familia ortus (III, 4, 2 sq.) exponit de ornithone in quo turdi et merulae includuntur. Filius uidetur fuisse L. Corn. Merulae flaminis dialis, quem, a. u. 667 Consulem reuerso Cinna incisis a se ipso uenis mortuum esse constat.

De *M. Petronio Passere* cum nullum aliud exstet testimonium, Vrsinus uetustam inscriptionem *) secutus Caetronium

---

*) Q. CAETRONIVS Q. F. PASSER in Vrs. Notis ad Cat. Varr. Col. etc. Romae 1587. p. 102.

scribendum censet pro Petronio. Glandorpius quoque Cetronii Passeris epitaphium exhibet. Cetroniae gentis haud rara uestigia. Apud Tacit. (Hist. IV, 50.) est Petronius quidam: in inscriptionibus complures eius nominis reperiuntur. Passeris tamen cognomen hac in gente aeque atque in Petronia nusquam inveni.

Fircellius Pauo, ut *Murrius*, Reatinus. Recte Schneiderus monet e III, 2, 14. coll. cum III, 4, 2. colligi posse materteram Varronis Fircelliam fuisse quandam, eamque pro Fircellii Pauonis Reatini consanguinea non inepte haberi. Fircellii nomen extra Varronem non repperi. III, 6, 1. de cognominis significatione, ut assolet, loquitur Varro.

Minucii quoque *Picae* memoria ualde obscura, quamuis Minutiorum gentem admodum fuisse nobilem inter omnes constet.

Vel nuntius qui (III, 5, 18.) rem ingratam affert, *Pantulaeius Parra* consulto a Varrone electus est, cum parra proprie significet mali ominis auem. Pantulaeios praeterea duos tantum apud Gruterum legi.

Itaque pro certo statuere licet scriptorem nomina rebus, quantum eius fieri potuit accommodasse. At alteram insuper Varro sibi scripsit legem, ut homines semper eo uocabulo appellaret, quod significatione sua ad rem facere uideretur. Itaque prout res fert, aut nomine, aut praenomine, aut denique cognomine utitur. Nusquam, ut hoc utar, Appium, nisi praenomine, nusquam Agrasium, Agrium, Fundanium, alios, nisi nomine, nusquam Atticum, Pauonem, Merulam, alios, nisi cognomine denotat. Cum uero primum legerem Varronem editione usus Bipontina scriptt. r. rust. mirum uisum est aliquoties pro Stolone et Scrofa exstare Licinium et Tremellium. Omnibus his locis aut mutanda aut eiicienda censui haec nomina, cum Scrofae cognomen in libris duobus prioribus uicies et bis, Stolonis in primo sexies decies reperiretur. Quod uero II, 4, 1. Tremellius dicitur, qui alioquin Scrofa, tantum abest ut contra meam faciat coniecturam, ut eam sustineat et confirmet, cum

l. 1. aperte opponantur inter se gentilicium nomen et cognomen. Quam quidem coniecturam prius a me factam, quam siue annotationem siue apparatum criticum inspexissem, postea adeo comprobauit librorum auctoritas mihi cognita, ut etiam iis locis huic coniecturae confiderem, qui corruptelae indiciis carent. Sequitur index locorum in quibus Licinii aut Tremellii nomen falso aut legebatur aut legitur.

I, 2, 20. *Licinius hoc nomine.* Schneider. recte eiicit *Licinius.* Politiani libri eius loco habent litteram *L.* ed. Iens. Bonon. Regiens, Brusch. *uel.* Cod. Vratislauiensis (cuius scripturam humanissime ad me transmisit cl. Hasius, intercedente dilectissimo praeceptore Ritschelio) *saliuam dicunt fructibuſ hiſ eſſe uenenum. Vel hoc nomine etiam atheniſ* etc.

I, 11, 2. iterum Schneid. omittendnm recte censet *Licinium.* Iens. Reg. Bon. Brusch. *L.* Polit. cod. 2. *C. L.* Vrsini uu. codd. *L.* Vrat. *disperire: L. dubium enim.*

I, 18, 2. pro *Lucinio* Vrat. et Vrsin. codd. *L.* Rursus *Licinius* extrudendum.

I, 44, 3. pro *Licinius* sine libror. auctoritate aut legend. *ille*, aut *Stolo* (Vrat. *Lucinius*).

I, 44, 4. pro *Lucinius* scribend. *ille*, quod est in ed. princ. et libr. Pontederae. Vrat. quoque: *eorum. ille quae nta ſunt.*

I, 49. 1. *Licinius* in Ald. Iunt. Gymnic. edd.: ex u. c. Vrsinus *Licinius* commendat. Victorii liber minus uetustus eandem refert scripturam, at eiusdem codex uetustissimus pariter ut Vrat. *) *Licinium* omittit.

I, 37, 3. *Tremellius.* Legendum censeo *Scrofam* **).

---

*) Cod. Vratisl. hunc locum habet sic: *appellatum urrucū conticuisset nec interrogatur de nutricato credens nichil desiderari dicam inquit.*

**) Cod. Vratisl: *& quid ea diuisio ad agros pollet: Tremelius Nunquam iure audisti inquit octauo Ianā lunam et crescentes et contra senescentem: et quae crescente luna fieri opporteret: & tamen quaedam melius fieri octauo. post Ianam lunam quam ante: &.*

II, 10, 8. *Tremellius simul* legitur uulgo. Vratisl. *matres simul adspicit*, Iens. quoque Bon. Regiens. omisso Tremellio: *Simul.* Vrsin. ex u. c. *et matres esse. Simul.* Polit. et Victor. libri: *Semel simul.* Cod. Vindobon. *Semel aspicit.* Tremellii nomen ut omnes aliae scripturae peruersae e *simul*, errore librarii bis posito uidetur ortum. Lege *simul*, quod est cod. Vrat. et edd. princ.

II, 10, 11. *Tremellius septingenarii* edd. ante Victorium. Codd. Victor. et Polit. primus: *ait tici et mel.* Vrat. *ut sunt actici & mel septingenarii enim nu͞m opinor.* Cod. Vindob. *et mel.* Victor. et Vrsinus recte scribunt *et mei.* Tremellius ortum ex *et mel:* quod *mel* esse idem ac *mei* omnes sciunt qui ueterem scribendi rationem uel obiter nouerunt.

Contra omnium uero codicum auctoritatem in his libris aliquid statuere ne quis iudicet audacter factum, cum non solum hi codices nondum sint accurate collati, sed etiam ex uno omnes eoque sat impuro fonte manauerint, qui praeterea etiam interpolationis labem contraxerit. Id enim et librorum omnium lacuna post libri II. prooemium docet, et littera L *),

*) Hanc litteram pro certo statuendum est ubique ad uerborum continuitatem nullius prorsus esse momenti: cum uero saepe sit habita a librariis et ab editoribus pro scribendi compendio multis uitiis praebuit ansam. Videtur autem primi tantum libri esse, praeter locum enim unum libri III (1, 4.) ubi est apud Victor. nusquam extra libri I. fines eam indagaui. Animaduersam legesis hanc litteram ab Vrsino ad I, 11, 2. 18, 2. 55, 1. 59, 2. a Victorio I, 23, 5. 11, 2. 18, 2. 42, 1. 44, 4. bis. 55, 1. 59, 2. 61, 1. 69, 3. III, 1, 4. a Politiano: I, 2, 19. 11, 1. ubi alii eius libri *C. L.* 55, 1. Cod. Vindobonens. eam exhibet I, 55, I. 59, 2. Caesenas: I, 23, 5. Vratisl. I, 11, 1. 18, 2. ed. Ienson. et quae eam sequuntur edd. Bonon. Brusch. Regiens: I, 11, 1. 23, 5. 59, 2. Videtur autem haec nota hisce Varronianis libris esse propria, neque inepte eo indicio aliquem significasse credideris eos libri locos, in quibus in dictando uel legendo substitisset, ita ut a legendi uocabulo duxerit originem. Aliter de hac littera statuerunt Vrsin in not. ad I, 11, 2. et Scaliger in coniect. ad I, 49, 2.

quae in longe plurimis (fortasse omnibus) legitur manuscriptis. Ipse autem fons quam fuerit impurus, ostendunt apertissime ea, quibus libri scatent, glossemata, quorum pauca iuuat afferre exempla: I, 37, 2. *Ianam Iunam* bis. II, 3, 7. *sunt duo hoedi et capra non longe a tauro.* (cfr. II, 1, 17.) III, 12, 6. *a celeritudine.* Vrsin. *a celeritate.* Quaerenti eiusmodi permulta se offerent, obseruata passim ab Vrsino et Scaligero, quibus omnibus eiectis ualde mutatum fore huius operis dicendi genus, propiusque ad reliquae scriptionis Varronianae similitudinem accessuros esse puto hos de r. r. libros. Quae cum ita sint, cumque eandem hos libros expertos esse sortem atque multos alios (inter quos ipsius Varronis d. l. l. libros) haud careat uerisimilitudine, ex uno uel perpaucis tantum codd. omnem libror. mss. molem deriuatam esse existimo. Pro eoque codice, si fuit unus, haud scio an habendus sit Marcianus Florentinus, quem pro antiquissimo haberi postea uidebimus. Itaque uidetur Varronianorum codd. interpolatio iam aliquot saeculis ante renatas litteras e recensione aliqua esse orta, qualis in aliis quoque scriptoribus identidem reperitur. Qui criticam operam nauare uolet his libris, ei, ut puto, inquirendum erit praeter cetera in hunc codicem Marc. Flor. inque collationes et codices ex illo exscriptos. Vt autem paullo accuratius perspici possit codd. atque editionum ratio addidimus libr. I p. 55. partem priorem in qua emendandi periculum fecimus, apposita ad comparationem Schneideriana recensione una cum codicum *) atque earum editionum diuersis scripturis quas libris manu scriptis adhibitis factas esse constat. Quo ex specimine facile cognoscetur sine meliorum et a nostris diuersorum codicum auxilio nimis multa esse prorsus incerta. Proposui quidem restituendae scripturae conatum, cui tamen quantum ab integra desit probabilitate me minime fugit.

---

*) E Cod. Vratislau. totum hoc caput propria manu accuratissime exscriptum ad me transmisit Hasius.

Varro de r. r. I, 55.

Ed. Schneider. I p. 202.

De oliueto [1]. oleam quam manu tangere possis e terra ac scalis, legere oportet potius quam quatere; quod ea, quae vapulavit, macescit, nec dat tantum olei. quae manu stricta, melior ea, quae digitis nudis legitur [4], quam illa, quae cum digitalibus. duricies enim eorum non solum stringit bacam, sed etiam ramos glubit, ac relinquit ad gelicidium retectos. Quac manu tangi non

Oleam quam manu tangere possis e terra ac [2] scalis [3], legere oportet [4] potius quam quatere, quod ea, quae uapulavit macescit [5] nec dat tantum olei. Quae manu stricta, melior ea quae digitis nudis, quam illa quae cum digitalibus [6], duricies [7] enim eornm non [8] solum stringit [9] bacam [10] sed etiam ramos glubit ac relinquit ad gelicidium retectos. Quae [11] manu tangi non

1. De oliueto] *de olea legenda*, *de oliueto* Cod. Vindob. 2. ac] *aut* Iensoniana ed. Aldina. 3. scalis] *sctalis* Vrat. 4. oportet] *opz*. Vrat. 5. macescit] *marescit* Vind. *inarescit* Vrat. Iens. Ald. 6. legitur] *L* Vrsini cod. *laudabilior L* Vind. Politiani et Victorii codd. *laudabilior* Vrat. Iens. (*Legitur* om. Vrsin.) 6. digitalibus] *digitabulis* Vrat. Pol. Vict. 7. duricies] *durities* Vrat. 8. non] *non quia non* Vind. *) *quod non* Vrat. Pol. Vict. Vrs. cod. Regius Paris. **) *quia non* Iens. 9. stringit] *strigit* Vrat. 10. bacam] *baccaf* Vrat. *uacam* Vict. 11. quae] *qui* Vrat. *quae* ante Victorium (Iens. Ald.) qui *qui* dedit. ***)

---

*) Duplicem hic cod. refert scripturam, *non* et *quia non* ut supra *de olea legenda* et *de oliueto*.

**) Mercer. ad Non. p. 403, 8.

***) Schneideri ad hunc locum annotatio. Ipse in Victor. explic. castt. suarum non repperi: attamen potest ex Gryphiana editione esse petitum.

poterunt, ita quati debent, vt arundine potius quam pertica feriantur. gravior enim plaga medicum quaerit. Qui quatiet, ne aduersam caedat. saepe enim ita percussa olea secum defert de ramulo plantam. quo facto, fructum amittunt posteri anni. vt haec non minima causa, quod olіueta dicant alternis annis non ferre fructus, aut non aeque magnos. Olea vt vua per idem biuium redit in uillam, alia ad cibum eligitur [23], alia vt eliquescat, ac non solum corpus intus unguat,

poterunt ita quati debent, ut arundine [12] potius [13] quam pertica feriantur: grauior enim plaga medicum quaerit. Qui quatiet, ne adversam caedat: [14] saepe enim ita [15] percussa olea secum defert [16] de ramulo plantam [17] quo facto fructum amittunt posteri anni. Nec [18] haec minima causa, quod oliueta dicant [19] alternis annis non ferre fructus [20] aut non aeque magnos. Olea ut uua per idem biuium [21] redit [22] in uillam, alia ad cibum, alia ut eliquescat ac non solum corpus intus unguat [24],

12. arundine] *harundine* Vict. 13. potius] *pocius* Vrat. 14. caedat] *caedet* Vrat. 15. ita] om. Vrat. 16. defert] *profert* Iens. 17. plantam] *planta* Vrat. *partem.* Ald. 18. nec] *nec hoc non* Vrat. *nec* Vict. 4. codd. Florent. cod. Caesenas *) *ut* Iens. Ald. 19. dicant] *dicantur* Iens. Ald. 20. fructus] *fructum* Vrat. 21. biuium] *biluium* Polit. 2. Florent. **). 22. redit] *reddit* Vrat. *sedit* Vind. *cedit* Iens. 23. eligitur] *reddatur* Vrat. *laedatur* Vict. opt. *ledatur* Pol. 1. Cod. St. Reparatae. Caesen. *legatur* Pol. 2. Vindob. Venetus. *datur* Iens. ***). (om. *eligitur* Scal.) 24. unguat] *ungat* Vrat. edd. ante Vict. (Iens. Ald.).

*) Ponted. epistol. et dissertt. postum. Schneid. IV. p. post.
**) Ponted. l. l.
***) Hic quoque litteram L erroris ansam dedisse puto.

sed etiam extrinsecus: itaque dominum et in [25] balneas et [26] gymnasium [27] sequitur [28]. Haec, de qua fit oleum, congeri solet aceruatim per dies singulos in tabulata, vti ibi mediocriter fracescat, ac primus quisque aceruus demittatur per serias ac uasa olearia ad trapetas, quae res molae oleariae*) e duro et aspero lapide [37]. Olea lecta etc.

sed etiam extrinsecus. Haec, de qua fit oleum, congeri solet aceruatim per [29] dies singulos in tabulata [30], uti [31] ibi mediocriter fracescat, ac primus [32] quisque aceruos [33] demittatur [34] per sena [35] ad trapetas [36]. Olea lecta etc.

25. in] *in* a Schneid. insertum. *et ad* Ald. 26. et] *et ad* Ald. 27. gymnasium] *gyminasium* Pol. 28. sequitur] *insequitur* Pol. *inde sequitur* Ienson. 29. *per* om. Vrat. Ryckian. ed. Reg. Paris. **). 30. tabulata] *tabulato* Cresc. commod. rur. 31. uti] *ut* Vrat. 32. primus] *primitus* Iens. *prius* Cresc. 33. aceruos] *aceruos* Vrat. Vind. Caesen. 34. demittatur] *admittatur* Vrat. *demittit* Vind. *demittitur* Vat. codd. apud Ponted. Iens. 35. per sena ad trapetas] *admittatur per sena uasa olearia ac trapetaſ quae res mole oleariae ex duro ꝯ aspero lapide: olea* Vrat. *sena ad* Pol. 1. Caesen. *sena ad uasa ac trapetas* Vict. vetus. *per seria ad uasa olearia et trapetas* Vat. codd. Pont. *seria ad.* Pol. 2. *seria* Vict. recent. *et trapetas* Iens. *demittatur in sex partibus seu uicibus ad uasa olearia et trapetas.* Cresc. 36. trapetas] *trapetas* Vrat. Vict. Vat. Iens. Cresc. *trapeta* Ald. 37. quae res m. o. e. d.

*) Mercer. ad Non. p. 62, 4. Regium fuisse hunc codicem docet Mercer. ad Non. p. 61, 28.

**) Varro d. l. l. V, 138 ed. Mueller.: *trapetes molae oleariae.* Ibidem: *uocant trapetes* (*trapetas.* cod. F.) *a terendo nisi graecum est.* Vtroque loco Varroniano *trapetas* scribendum esse censeo.

et asp. l.] *quae res molae oleariae duro et aspero lapide.* Vict. Iens. *quae res molle olearie ex duro* Vind. *aut in quae eam terent molae* Ald. *submittitur molae oleariae quae est de duro et aspero lapide* Cresc. (*ac primus quisque aceruus demittatur ad serias per trapeta* scribit Vrsin.).

Sequitur index codicum eorum, quos exstare comperi, cum inquirerem in omnes librorum manuscriptorum indices et Varronis editiones quarum copiam nancisci potui, eo potissimum consilio, ut notitiam indagarem codicis alicuius qui ceteros et antiquitate et integritate lectionis superaret. Qua re id mihi contigit, ut paullo accuratiorem codicum indicem conficere possem (cfr. Schneid. I, p. XI sqq. Gesn. praef. V.), quem ea de causa hic exhibui ut nouam horum librorum editionem paranti rem aliquantulum expeditiorem reddiderim.

Index codicum.

I. *Cod. Marcianus Florentinus.*

Petr. Victorius in praefatione operis, quod inscribitur explicationes suarum in Catonem, Varr. Colum. castigationum haec habet de hoc codice (Gesn. I, XLII): „Vetustissimum uolumen est in Diui Marci Bibliotheca in quo M. Catonis unus liber est, quem de re rustica scripsit ac tres M. Ter. Varronis rerum item rusticarum. Is unus liber ut uerum fatear, et ut ueris laudibus ipsum ornem, maiores mihi utilitates praebuit, quam uniuersi alii: superat enim reliquos, quos habui, longo interuallo, et uetustate et fidelitate. Nec tamen cuncti, qui in eo continebantur auctores, ad nos peruenerunt: nam duo toti uetustate collapsi sunt, et M. Varronis extrema etiam pars defecit. Quemadmodum autem ex uetere inscriptione, quae in fronte libri est, cognoscimus, Iunii Mod. Columellae XII. libri illic etiam erant et unus ante illos Claudii Martialis: litterae tamen et antiquitate et frequenti attritu in prima parte libri ita deletae sunt, ut rubricam superinducere opus fuerit (rubrica enim notatae huiuscemodi inscriptiones in eo sunt) quare macula aliqua in his nominibus esse potest. Martialis tamen aperte legitur. Hoc autem relinquere nolui, quin notum facerem, ut uetustas huius libri intelligeretur, qui illis temporibus scriptus fuerit, quibus alii adhuc scriptores reperiebantur, qui postea negligentia hominum et seculorum iniquitate perierunt.“ Florentiae fuisse hunc cod. in bibl. Marciana recte coniicit Scheiderus (I. p. XII.) e Victorii explicationibus castigg. suar. in Ciceronem, Lugd. 1560. p. 636 (legendum potius p. 160, toto enim in Victoriano opere, 553 tantum paginas continente, nullum alium locum inueni in quo iste codex nominatus sit.). Ponted. (Antiquitt. Latin. Graec. q. enarr. Pat. 1740. Ep. III, p. 25.) hunc codicem, quem ex bibliotheca D. Marci Florentina laudat Victorius iam euanuisse dicit: ideo se dedisse operam, ut nonnulla, quae Angelus Politianus ante Victorium de eodem transscripsisset, sibi Florentia per Hieron. Lagomarsinium transmitterentur. Praeter Laurentianos cum hunc quoque codicem a

Politiano cum Iensoniana editione collatum esse constet, etiam de eo ualent, quae ad Laurentianos de Victorio, plagii accusato, sunt relata.

Videtur Bibliothecae Diui Marci Florentinae memoria nostris temporibus paullo esse obscurata: similemque esse caussam erroris a Fabricio in bibl. Latin. commissi licet suspicari. Fabr. enim huius biblioth. Columellam falso inter Marcianae Venetae libros refert, quapropter a Gesnero (praef. §. VII.) refellitur qui docere operae pretium habet Florentiis quoque coli euangelistam. De hac bibloth. Marciana Florentina accurate, ut assolet, uideas disserentem Roscoe, the life of Lorenzo de' Medici Tom. I, chapt. I. p. 40 sqq. ed. Basil.

II. *Laurentianus A.*

Bandini. Catal. Bibl. Med. Laur. II. p. 74. Plut. XXX. Cod. X. „Vitruu. de architectura. Cato de r. r. M. Terentii Varronis rerum rusticarum libri duo. Codicis pars III. p. 78, 6. Marci Terentii Varronis rerum rusticarum de Agricultura libri II. Primus incip.: Tocius omnem consecutus fundus, commodius tibi haec scriberem. Des. secundus: haec quae exposui habeto. In ed. (Gesner. priore) I, p. 131. ad p. 384. Notandum tamen multum ab edito Codicis lectionem discrepare. In fine legitur possessoris nomen hisce verbis: Mitia fata mihi. Francisci Sassetti Thomae filii ciuis Florentini.

Codex membr. Ms. in folio maiori saec. XIV. binis columnis nitidissime exaratus cum litteris initialibus librorum et capitum aureis. A me collatus a. MDCCLXII. constat foliis scriptis 116."

In annotatione de Politiani collatione disserit Bandinius, laudatque praeter ipsius dissertationem sopra le collazioni delle Fiorentine Pandette, Livorno 1762. 4. Menckenii uitam Politiani, quorum librorum priorem non uidi. De altero uide paullo infra, quae exposui.

III. *Laurentianus B.*

Bandini l. l. p. 526. Plut. LI. Cod. I. „Cato d. r. r. M. Ter. Varro de r. r. Exhortationes tres totidem oratorum, Aeschin. Demad. Demosth. alia manu exaratae.

Cod. pars. II. p. 34, b. M. Terentii Varronis Rerum Rusticarum de Agricultura libri III. praeuia Capitum Tabula LXXIII in primum tantum. Liber I. incipit: Potius essem consequutus Fundania etc. Vltimus des.: Hoc quem exposui habeto. Tum rubrica scriptum est: M. T. Varronis rerum rusticarum de uillaticis pastionibus liber tertius explicit feliciter. Deo gratias amen. In cit. Tom. a. p. 131. ad p. 384. Notandum codicis lectionem ab edita multum differre.

Cod. membr. Ms. in 4. Saec. XIV. cum correctionibus et uariis quibusdam lectionibus in margine satis bonis. Constat foliis scriptis 104.“

IV. *Laurentianus C.*

Band, l. l. Eiusd. plutei Cod. II. „Cato de agric. M. Ter. Varronis de agricultura libri III, praeuia tabula capitum libri I. ut in cod. superiore.

Cod. membr. Ms. in 4. Saec. XV. uere nitidus cum initialib. sing. libror. elegantissime illuminatis. Constat foliis scriptis 116.“

V. *Laurentianus D.*

Band. l. l. Eiusd. plut. Cod. III. „Varro de re rustica. Marci Terentii Varronis Rerum Rusticarum de agricultura libri III. praeuia singulis exactissima Capitum Tabula. Cod. membran. Ms. in 8. Saec. XV. ineuntis, bonae admodum notae optimeque seruatus. Constat foliis scriptis 107.“

VI. *Laurentianus E.*

Band. l. l. Eiusd. plut. Cod. IV. „Varro d. r. r. M. Ter. Varronis Rerum Rusticarum libri III. praeuia Capitum Tabula in primum ut in Cod. I. Vltimus liber desinit imperfecte in uerbis: hic loculatas habet piscinas, ubi dispares disclusos habent pisces, quos proinde ut sacri sint ac sanctiores, quam in Lydia quos sacrificant. Ibi Varro ad Tubiciuem Graecum . . . . . quae uerba pertinent ad cap. 17. et incidunt in cit. edit. p. 381. lin. 3.

Cod. chartac. Ms. in fol. min. Saec. XV. bene seruatus. Constat foliis scriptis 56.“

In praefatione explicatt. suarum de codd. Laurentianis haec habet Victorius (Gesn. I, XLII.): „Habui etiam eosdem auctores in alio uolumine, non adeo uetusto neque adeo fideli, quod litteris Gallicis scriptum uidebatur. Id autem è Medicaea Bibliotheca promsi, et non paucos item alios, qui illic custodiuntur, quos nunc necesse non est omnes nominare. De uno autem tantum, qui diligenter exaratus fuit, et e bono exemplare exscriptus Pataui (fortasse e cod. Patauino quem postea nominabo) non tacebo. Francisci autem Barbari patricii Veneti quondam fuit: et eius studio in ea urbe, in qua doctrinarum domicilium est, diligenter descriptus fuisse, illic traditur. Hi sunt praecipue codices, quorum auctoritate usus sum, nam alii aut de optimo illo (Diui Marci codice) descripti, aut ita mendose et negli-

genter scripti sunt, ut eorum testimonium parum pondus merito habiturum fuerit."

Schneid. I. p. XIII. „Eosdem codices („duos ut uidetur Bibliothecae Mediceae" Mencken. uit. Polit. p. 622.) iam ante Victorium tractauerat Poltianus et cum Iensoniana principe editione comparauerat: unde descriptam uarietatem omnem quae hodieque in Bibliotheca Medicea Florentiae (cfr. Mencken. uita Polit. p. 622.) asseruatur ad Gesnerum (sive Fritschium Gesn. praef. §. XV.) transmiserat H. Brencmann. Manifestum erit, utramque uarietatem contendenti multo diligentius in hoc negotio uersatum esse Politanum."

Victorius his Politiani collationibus abusus esse putatur, cfr. de hac re Mencken. uita Polit. p. 622 sqq. Gesn. praef. §. XV. Schneid. I. p. XIII. At Gesnerus, quamuis inter utrumque mirum exstare consensum intelligat, Victorium tamen plagii accusare ueretur. Gesnerus et Schneider. ea re praesertim commouentur ut Victorium a crimine absolvant, quod is Iensonianam editionem, in qua annotata erant Politiani e codd. excerpta „aut nunquam viderat aut negligenter admodum inspexerat," non cogitantes ueteratorium in modum hanc Iensonianae ignorantiam a Victorio simulatam esse posse. *) Nobis incomperta res, neque accuratius in eam inquisiuimus.

Quae de codd. Laurentianis habet Pontedera sunt haec:

1) Ponted. in epistola ad Facciolatum 1721. Ges. I, XLV. „Illud etiam praetereundum non est multa ex uetustis Laurentianae Medicae. bibl codicibus mihi transscripta misisse Florentia amicissimum Gastonem Georgium quibus dubias ac uitiosas nonnullas lectiones restitui.

2) Ponted. Antiqq. Lat. et Graec. enarr. 1740. ep. III. p. 25. quae epistola scripta est anno 1731. „Accesserunt quoque nonnulla ex bibliotheca Medicaea desumta."

3) In Pontederae epistolis ac dissertt. postumis (Schneid. IV. p. post.) 5 codd. Laurentiani identidem nominantur uel Pol. 2. Laur. 3. omnibus huius bibliothecae libris in usum uocatis.

VII. *Guarinensis.*

Petr. Victor in explicationibus suarum in Varronis libros d. r. r. explicationum (ed. Durdrecht. Berewouti 1619.): „Accessit tribus libris, quorum fidem maxime in Catone expurgando secutus sum (cfr. quae de codd. Marcian. Florent. et de Laurentianis modo sunt al-

*) Prorsus mutata sententia idem Schneiderus (in praef. ad Columellam edit. scrr. r. r. P. II. Tom. II.) apud se non esse ita saluum Victorii pudorem dicit.

lata.) quartus quidam amici et familiaris hominis: qui in Varrone comes illis adiungitur, et non negligenter a nobis in hoc munere obseruatus est. Illum autem, quamuis priscis temporibus exaratus non fuerit, paruifaciendum non putaui: nam domi doctissimi et clarissimi uiri (ut in eo quoque adnotatum est) Guarini Veronensis Ferrariae exscriptus fuit: ut facilius etiam a natali loco fides ei habenda sit. Non enim ab iisdem exemplaribus quibus nostri, profectus esse potest: aut, quando cum libris nostris consentit (quod saepenumero facit) id astute facere, et consilio aliquo fraudis cum illis inito existimari debet: sed ut incorruptus testis quod in ueritate ab his discrepare nolit. De aliis plurimis, qui aut ex eodem fonte orti, aut mendose scripti sunt, mentionem non faciam, nam aut ambitiosus in citandis testibus uiderer, aut studiosis sine ulla utilitate fastidium afferrem." In ipsis explicationibus praeter Marcianum cod. et Laurentianum illum, quem gallicis literis exaratum fuisse dicit, nusquam singulos nominat libros.

VIII. *Vratislaviensis.*

Wachler, (Rhediger und seine Büchersammlung in Breslau) hisce uerbis hunc codicem describit: „membr. 177 fol. in Fol. diuersae aetatis. Cato 1472 Venetiis exaratus: Varro et Palladius saec. XIV. scripti. Nro. 66." Gesnerus, qui ex huius codicis parte priore acceperat scripturarum Catonianarum nonnullas (cfr. Gesn. praef. III.) monstrose uitiosum eum esse dicit. De eodem, quatenus ad Varronem facit idem Gesnerus (praef. §. V.) habet haec: „De Codice Biblioth. Rhedinger. saeculo scripto XIV. lemmatibus et capitum distinctione carente, non audebamus negotium facessere humanissimo Kranzio, quod non multa speraremus a codice, qui nos in ornithonis descriptione quam submiserat senex optimus, et paucis aliis locis dubiis, destituisset." cfr. Gesner. praef. §. X.: „Asservatur alius Palladii Codex in Bibl. Rhedinger. Vratislauiae (quam in Catone et Varrone iam nominauimus) in titulos diuisus, quorum argumenta s. rubricae interpositae ipsis titulis sunt: nomen scribitur Rutilii et Aemiliani." Quae de hoc codice mihi tradidit Hasius sunt haec: Non est saec. XIV. sed XV.: nitidissime in Italia ut uidetur exaratus. Varro et Palladius eadem manu scripti, inter utrumque intercedit Cato alia rudiore et iuniore manu. Capitum inscriptiones in unum collectas non refert, libri tantum spatio sunt separati, minus spatium ante secundum uniuscuiusque libri caput relictum inuenitur, ceteroquin ne uestigium quidem diuisisionis in capita. Singulae huius codicis paginae haud multo plura continent quam Gryphianae (anno 1549) editionis. Prima huius cod. uerba sic sese habent:

M. TERENTII VARRO
nis opus de re . ru
S T I C A
P OTIVS essem consequutuf
fundania: et cōmodius tibi hec fcri
berem: que nunc ut potero exponā
qnod citatuf effe properandum
quod ut dicitur fi est homobula eo
magif senex. Annuf. N. octogessimꝰ
ammonet ut farcinulas colligam:
antequam proficiscar euitar: Quare quoniā emisti fundum.
quem bene collendo cum fructuofum facere uelis:
meque ut id beām curare rogef. Experiar etc.

In extremo libro haec leguntur:
non hec ad ftrepitus adextra &culeta candidatus
noster designatus ediffem uillam cuinos accidimus
et gratulati in capitolium perseqr : Ille in docendo suā
domum nos noftra opinioni nr̃ae fermone de paftiōe
uillatica fummatim hec quae exposui habito:
.·. F I N I T .·.

In fine uersuum ad explenda fpatia minora quam quae uerbum integrum aut fyllabam capere possint ponitur | aut I aut ɉ. Fortasse e tali nota ortum duxit littera ista L de qua cfr. quae exposui p. 14.

IX. *Ryckianus.*

Gesn. praef. §. V. extrem. „plus opis (quam Vratislauiensis) tulit collatio ex antiquo codice facta a Theodoro Ryckio quam Perizonii rogatu cum Schoettgenio communicaverat Io. Theod. Schalbruchius Amstelodamensis Lycei professor meritissimus.“ Quis hic codex fuerit, nullibi traditur.

X. *Marcianus Venetus.* *)

Morelli, della pubblica libraria di San Marco in Venezia dissert. storica. „D'un esemplare di Catone e di Varrone de re rustica si

*) Phil. Thomasini, biblioth. Venetae mss. publ. et priu. Vtini 1640. huius codicis mentionem non facit. Hoc in libro p. 106. inter libros coenobii S. Francisci a Vinea legitur: „Varro super quatuor libros sententiaruum.“ Hunc librum cum iis quae uulgo feruntur Varronis sententiae (a Vincent. Bellouac. in spec. hi-

servi il dottissimo Pontedera per sovente riconoscere la vera lezione di quegli Autori ed ammendarne le stampe che trovò assai scorrette: communicando anche le correzioni prese del esemplare stesso a Giammatteo Gesnero il quale nella nuova edizione di quegli autori fatta in Lipsia l'anno 1735 sovente fa uso del codice nostro." Duplice huius codicis collatione utitur Pontedera, altera a se ipso instituta in Antiquitatum Lat. Graecarumque enarrat. 1740. (p. 25. ep. III, „multa Venetiis cum antiquo D. Marci exemplari contuli") altera de qua Schneid. (Tom. IV. Part. posterior. p. 6) haec habet excerpta e Ponteperae epistolis et dissertt. postumis 1791. a Bonato editis: „Antonius Bonioannius (Buongiovanni) totum D. Marci Bibliothecae Venetum codicem cum Lipsiensi editione comparauit in usum Pontiderae."

XI. *Caesenas.*

Macciolo Catalog. codd. mss. Malatestinae Caesenatis Bibl. p. 167: „Pluteus XXIV. in II. 1) L. Iunii Moderati Columellae de re rustica libri XII. 2) M. Catonis de Re Rustica. Liber ad filium suum. 3) M. Terentii Varronis Rerum Rusticarum de agricultura liber primus feliciter incipit. rubris characteribus haec scripta sunt. Tum uero habetur Prologus eiusdem, cuius initium: Totus essem consecutus etc. Finis: quae ipse in meis fundis colendo animaduerti et quae legi, et quae adspicis: audiui. Lemma secundi libri ita se offert: M. Terentii Varronis rerum rusticarum de re pecuaria liber secundus incipit feliciter ad Turrannium nigrum. Haec inscriptio maius-

---

stor. a Barthio in Aduersarr. a Schneid. in ed. scrr. r. r. et a Vinc. Deuit Pataui seorsum edit.) facile quis confundet. At sunt, ut discimus ex catal. codd. mss. bibliothecae Regii Taurinensis Athenaei ed. Pasin. Varronis (qui idem et Varrinus et Warro et Guarro nominatur) commentarii in quatuor libros sententiarum Magistri sententiarum (Petri Lombardi). Et est cum sententiarum Lombardi, tum eorum in eas scriptorum commentariorum, quorum exstant plurimi, ratio ea, ut, quae dicuntur Varronis Reatini sententiae (seu prouerbia, ut nominantur in Catal. mss. Angliae et Hiberniae et in indice mss. biblioth. Reg. Paris.) nullo prorsus modo ex his Guilelmi Varronis scriptis possint esse desumtae. Quid? quod ipsi huius rei auctores ambigunt utrum aequalis fuerit Guil. Varronis Vincentius Bellonac. an aetate eum praecesserit. De hoc Guil. Varrone uidesis Annales Minorum auctore Wadingo, Lugd. 1628. Tom. II. p. 338. et imprimis Oudini commentarr. de scriptorr. ecclesiae antiquis Lips. 1722. Tom. III. p. 567.

culis litteris et rubris est exarata. Hoc in secundo libro lacunae tres reperiuntur. Lemma tandem libri tertii haec habet: M. Terentii Varronis rerum rusticarum de Villaticis Pastionibus liber tertius feliciter incipit. Liber ipse ita desinit: De Pastione Villatica summatim hoc quod exposui habeto. In eo lacunae quinque prope finem. Postea: M. Terentii Varronis rerum rusticarum de Villaticis pastionibus liber tertius explicit. Finis. Statim sequitur: Incipiunt Rubricae eiusdem Operis quae ueluti capita continent rerum, de quibus Auctor disserit. Codex optime scriptus et eleganter. Quadratum primae paginae totum aureum est, in quo maiuscula littera egregie multis coloribus conspicitur delineata. Cum ad extremum huius paginae limbum circularis figurae lamina aurea effulget, praeferens Craticulam gentilitium Insigne Malatesteum, et siglas M. N. tum idem stemma elegantius uisitur ad calcem paginae primae Operis M. Terentii Varronis rerum rusticarum."

De hoc Codice Pontedera 1) in Antiqq. enarr. Epist. III. p. 25: "Cum Caesenae in Bibliotheca fratrum ut uocant Minorum Conuentualium custodiri codicem qui de Victoriano illo (Marciano Florentino) exscriptus ferebatur, accepissem, per amicos curaui, ut eorum, quae dubia aut obscura habebam, exemplum remitterent." Haec ipsa Pontederae uerba laudat Macciolo l. l. 2) in Epistt. ac dissertt. postum. ap. Schneid. IV. p. post. "Carolus Antonius Serra, medicus Caesenas, multa, de quibus rogatus fuerat, ex antiquis membranis quae apud Fratres D. Francisci Caesenae custodiuntur Pontederae transcripsit."

XII. *Cod. St. Reparatae.*

Ponted. antiqu. 1740. p. 25. "Dedi operam ut nonnulla (e codice) qui ad S. Reparatae asseruatur mihi Florentia per Hier. Lagomarsinium transmitterentur."

In epistolis ac. dissertt. postumis saepe a Pontedera in usum uocatur hic codex.

XIII. *Vindobonensis,* olim *Hohendorfianus.*

Bibl. Hohendorfiana p. 235. Mss. in Folio: "M. T. Varronis et L. I. Columellae de Re Rustica liber. Ms. sur velin, écrit en lettres rondes dans le quinzième siècle; il y manque une partie du premier livre de Varron et le Columelle ne va que jusques au trente troisième chapitre du treizième livre, du reste il est très bien conservé et enrichi de lettres initiales dorées et de quelques annotations sçavantes sur le premier livre de Columelle; reliés en maroquin rouge doré et marbre sur tranche."

Endlicher, catal. bibl. Vindob. p. 32. "LXIV. $\frac{33}{\text{H. f. 22.}}$ Codex

ms. membranaceus saeculi XV. litteris initialibus pictis, initio et fine mutilus, constat nunc foliis 199. in folio. I. f. 1—19. M. Ter. Varronis de Agricultura libr. I, cap. 48—69. et lib. II. Orditur his lib. I. cap. 48. uerbis: proinde ut grani apex sit gluma. Inter fol. 4 et 5 unum folium excidit, ita ut desit libr. II. praef. v. 6. ad cap. II. v. 3. a uerbis: crebro pedes quo facilius sumtibus, usque ad uerba: in Italia prolixis in syria. II. f. 30—199. Columellae d. r. r. lib. VIII. Observationes quae primis Columellae foliis adscriptae habentur et in Catal. Bibl. Hohendorf. p. 235. eruditae dicuntur, nil sunt, nisi paucae scripturae depravatissimae emendationes a manu saec. XVI.“ Huius cod. scripturam, quantum a Gesneriana priore recedit a Weigelio exscriptam Schneiderus exhibet in sua scrr. r. r. editione Tom. III. p. 272 sqq. Plerumque interpunctionis signis atque omni capitum distinctione carere hunc librum dicit Schneider l. l.

XIV. *Regius. A.*

Montfaucon bibl. bibl. p. 897. ubi codd. Reg. Paris. recensentur, habet haec: „Cod. XVIII. in membranis antiquis. 1) Varronis libri de re rustica. 2) Columella, deest finis.“ Is in catal. huius Bibl. non enumeratur.

XV. *Regius B.*

Catalogus codd. mss. bibl. regiae Tom. IV. p. 207. b. „cod. VI. MCXLIX. codex chartaceus olim Puteanus. 1) Valerii Maximi dictorum factorumque memorabilium libri nouem, primi initium desideratur, subiectus decimo loco libellus Iulii Paridis de nominum Romanorum ratione. 2) Francisci Petrarchae ad Aeneam Senensem epistola metrica. 3) Marci Catonis liber de re rustica. 4) Marci Terentii Varronis liber rerum rusticarum ad Fundaniam uxorem. 5) Anonymi opusculum astronomicum. Is codex decimo quinto saeculo exaratus uidetur.“

XVI. *Regius C.*

Ibid. p. 282, b. „cod. VI. MDCCCXXX. F. Codex partim membranaceus, partim chartaceus, olim Puteanus. Ibi continentur 1) Palladii Rutilii Tauri Aemiliani libri tredecim de re rustica. 2) M. Terentii Varronis de eodem argumento liber tertius, initium desideratur. Huiusce codicis pars membranacea decimo tertio, chartacea anno Christi 1414. exarata est.“

XVII. *Regius D.*

Ibid. p. 284, a. „cod. VI. MDCCCXLII, A. Codex membrana-

ceus quo continentur: 1) M. Catonis liber de re rustica. 2) M. Terentii Varronis de eodem argumento libri tres. Is codex decimo tertio saeculo uidetur exaratus."

E Mercer. annot. ad Non. p. 61, 28 cognoscimus eum, quem saepe nominat optimum Varronis d. r. r. codicem Regium esse. Fortasse est, quem modo nominauimus Cod. D.

Schneid. I. praef. p. IX sq. in Varrone praesto sibi fuisse dicit edit. Commelinianam passim uarietate lectionis et annotatione Abr. Gronouii in charta interposita separatim notatam. Codices ibi duos nominatos se reperisse Bibl. Regiae Parisiensis alterum numero signatum 5992 alterum 6028, sed qui factum sit ut uarietas codd. integra in margine non adscriberetur, se ignorare. Ego quoque ignoro, quid his codicibus commune sit cum illis, qui in catalogo enumerantur.

XVIII. XIX. *Vaticani.*

Schneid. I. praef. X. „geminum Varronis (de r. r.) codicem ex Bibl. Vaticana commemorauit Io. Rhodius in Lexico Scriboniano (editioni Scribonii Rhodianae addito) numero 1524 alterum 3310 signatum." *) Rhodius l. l. p. 367. et p. 411. ex his codicibus affert scripturas ad duos Varronis d. r. r. locos emendandos quorum codicum „exiguam ab annis auctoritatem" esse dicit. Schneiderus l. l. his forte Vrsinum antea fuisse usum suspicatur. De codd. Vaticanis Pontedera 1) in epist. ad Facciolatum (Gesn. I, XLV.) „Roma quoque ex codicibus Vaticanis — nonnulla — accepi." et 2) Antiquitt. p. 25. ep. VII.: „Accesserunt quoque nonnulla ea bibliotheca Vaticana depromta.

XX. *Ambrosianus A.*

Schneid. IV. p. post. ex epistoll. et dissertt. Ponted. postum. refert opera Abbat. Alberti Mazzolenii quaedam ex Ambrosiana biblio-

*) Schneiderus l. l. haec addit: „Praeterea alium Varronem Patauinum memorat Rhodius in indice auctorum sub Varronis nomine; sed nullibi nominatum eum codicem a Rhodio inuenire potui." Male rem inspexit Schneiderus, in Rhodii enim annott. ad Scribon. p. 16. laudatur hic cod. Diui Francisci Patauii ad emendand. Varronem *de lingua latina* l. VI. (VII. 4. ed. Mueller.). Hunc Rhodianae annotationis locum in ipso indice, numero apposito esse significatum miro modo Schneiderus praeteruidit.

theca obtinuisse Pontederam. Cum ad Varronem et ad Columellam laudetur a Ponted. Cod. Ambrosianus, diuersus esse uidetur ab eo Varronis codice quem exhibet Montfaucon.

XXI. *Ambrosianus B.*

Montfaucon, Bibl. Bibl. in Bibl. Ambros. Mediolan. p. 524. „Varronis liber de re rustica. perg."

XXII. *Borbonicus. A.*

Ianelli Catal. Bibl. quae in Regio Neapolitano museo Borbonico asseruatur p. 252 sqq. CCCLXXVII. „Codex membranaceus in folio amplo, membrana nitida, charactere rotundo et eleganti descriptus saeculo XV. Complectitur: 1) Lucii Iunii Moderati Columellae de re rustica libros XII. quibus praefixus index capitum librorum subiectaque Epistola Georgii (Merulae) Alexandrini ad Dominicum Georgium, quaeque legitur in aliquibus Columellae editionibus. 2) Palladii Rutilii Tauri Aemiliani de re rustica libros per menses anni distributos. 3) Eiusd. Palladii libellum de insitione; subiecta est Epistola Francisci Colutia Vercinensis ad Nicolaum Ienson Gallicum: et quae in Paladii editionibus legitur. 4) M. Catonis d. r. r. librum capitibus 161. constantem, quorum capitum tituli una collecti praefixi etiam sunt libro: quin praeposita epistola Georgii (Merulae) Alexandini ad Petrum Priolum de enarratione obscurarum et priscarum uocum M. Catonis; quae hic reipsa subiiciuntur et quinque circiter paginis clauduntur. Tum adduntur: enarrationes dictionum Marci Varronis et si quae alia difficilia sunt in Georgicis et circiter 24 paginis includuntur. 5) Marci Varronis de Re Rustica libros tres, quibus singulis praefixi capitum Tituli una collecti; tum praefixa Epistola Georgii (Merulae) Alexandrini ad Bernardum Iustinianum de Georgicis libris Catonis et Varronis. Ad calcem haec adscripta ab eadem manu, qua uniuersus Codex est exaratus: Diuo Fernando Regi Arragonio Ioanrainaldus Mennius Millesimo, quadringentesimo LXXXVIII quod bene uertat, transcripsit. Tituli capitibus saepe adsunt colore rubro, saepius desunt. Litterae initiales omnes pulcherrime expictae, plures auro etiam conspicuae . . . . V. A. 5."

Conferenti mihi ea quae Gesn. praef. §. XIV. de edit. principe relata habet, dubium non fuit, quin hic codex uel ex principe vel ex una alteraue duarum edd. quae principem sequuntur esset descriptus quamuis earum nullam inspexerim. Quae enim illae, hic continet omnia, uel epistolas quae de edendo opere sunt conscriptae. Prorsus ut editiones e Georgii Merulae Alexandrini nomine medium omittit uocabulum. Scriptorum quidem ordo in codice alius est atque in editionibus.

XXIII. *Borbonicus B.*

Ianelli l. l. p. 254. „CCCLXXX. Codex membranaceus in 4. membrana nitida, et accurato charactere descriptus ineunte saec. XV. Complectitur: 1) Marci Catonis librum Rei Rusticae. Tituli colore rubro, ipsique tituli una collecti num. 153 colore pariter rubro, libro sunt praepositi. Litterae initiales pictae. 2) Marci Terentii Varronis de Re Rustica libros tres. Tituli capitum primi libri omnes una collecti praefixi sunt, et alia manu notis Arabicis numerati, quin ipsis capitibus per priorem libri partem praepositi: tituli capitum ceterorum librorum nusquam appositi. Litterae capitum initiales omnes rubrae. Insigniores Periodi lineolis curuis rubris, uel nigris praenotatae. 3) Iul. Calpurnii Siculi carmina Bucolica, siue Eclogas septem. 4) M. Aurelii Nemesiani quatuorBucolica carmina. In fine haec apposita: Antonii Seripandi ex Iacobi Perilli amici optimi munere. Tum haec: Ioannes Antonius Ferrillus Patricius Neap. ac iuuenis apprime literatus Iacobum Perillum hoc libro donauit. Kal. Iuniis M. DVII . . . . . V. A. 8."

XXIV. *Venetus ex bibl. Bessarionis.*

Tomasini bibl. Venetae mss. in indice librorum Cardinalis Bessarionis. in Pluteo I: „Columella, Varro et Cato de agricultura in membr."

XXV. *Arundelianus.*

Catal. of manuscripts of the brit. Mus Vol. I. Part. I. the Arundel manuscripts p. 22. „81. Membranaceus, elegantissimus in folio. ff. 272. saec. XV. 1) Iunii Mod. Columelle uiri doctissimi et eloquentissimi rei rustice libri tredecim. fol. 16. 2) M. Cat. d. r. r. fol. 190. 3) Marci Varronis de agricultura rerum rusticarum libri tres. fol. 216. b. Cfr. Praef. huius Catal. p. VIII.: The facsimiles in the last plate are taken the one from the initial page of a Ms. of Columella Cato and Varro, forming a good specimen of Italian penmanship and embellishment about the time of the invention of printing, the other etc." Huius cod. scripturam aliquoties exhibet Gesner. ex Wassei ad Sallustium annotationibus hanstam.

XXVI. *Harleianus.*

Catalogue of the Harleian collection in the brit. Museum Tom. II. p. 708. „2702. M. T. Varronis de re rustica libri III. saec. XV. Cod. membranaceus, elegans, picturis eximiis ornatus."

XXVII. *Norfolcianus.*

Catal. ll. mss. Angliae et Hiberniae Oxon 1697. libri mss.

bibliothecae Norfolcianae in Collegio Greshamensi: „2979. 80. Iunii Mod. Columellae Rei Rusticae libri. M. Catonis de r. r. lib. M. Varronis de agricultura libri 2." Idem Codex est in Montfauconii bibl. biblioth.

XXVIII. *Monspessulanus.*

Haenel catal. codd. mss. bibl. Gall. Helu. etc. 240. „Montpellier, bibl. de l'école de Médecine. Cod. chart. 4. saec. XVI. Maladie des faucons; Cato de agricultura, Varro de agicultura.

XXIX. *Neapolitanus.*

Burm. Sylloge. T. III. p. 566. Is. Vossius Nic. Heinsio Ep. XII. Amstelodami Romam, 1646. „Neapoli in Bibliotheca Sannazarii in conuentu S. Ioannis Carbonarii est codex satis uetustus Varronis de re rustica."

XXX. *Excerpta Riccardiana.*

Lamius Catal. bibl. Ricc. Florent. „Varro de re rustica excerpta N. III. Cod. chartac. in 4. n. XXVII." In libro qui inscribitur Inventario e stima della bibl. Riccardiana etc. haec excerpta non repperi, nisi insunt codici de quo haec referuntur: „892. Varchii Benedictini excerpta ex uariis auctoribus. cod. chart. in 4. Saec. XVI. Autographus."

XXXI. *Excerpta Argentoratensia.*

Haenel cat. etc. p. 462. „Excerpta ex Catone d. r. r. ex Varrone de r. r. ex Plinii hist. natur. 4."

Codicum indici addere placuit haec:

1) Ursinus in notis suis ad Varronem etc. quibus et quot codicibus sit usus, ne verbo quidem exposuit. Vaticanos fuisse suspicatur Schneiderus I, XIV. cfr. de codd. Vat. quae modo allata sunt.

2) Aldinae quoque editor, Iucundus Veronensis in praef. eius edit. (Gesn. I, XXXVIII.) se libros d. r. r. cum antiquis exemplaribus contulisse dicit.

3) Io. Schwarz Gymn. Casimir. Cob. p. p. in epistola ad Thomasium de noua editione scriptt. r. r. (Gesn. II. p. 421.) se consuluisse manuscriptos codices affirmat, nisi forte haec verba de uno Lipsiensi Columellae codice suni accipienda quo usus est Schwarzius teste Fabricio in bibl. Lat. ed. Ernesti. lib. 1. cap. VII.

4) Qui apud Schneid. IV. p. post. p. 6. nominantur codd. scriptt. r. r. (is quem Pontedera suum nominat et alter qui Romae exstat in Bibliotheca Fratrum S. Augustini) Varronis libros non uidentur continuisse.

VITA.

Natus sum a. d. XI. Cal. Mart. anni CIƆIƆCCCXXI Meiningae patre Ioanne Theophilo qui medici forensis munere Sonnebergae fungitur, matre Henrietta e gente Heymia quam morte iniqua mihi ereptam lugeo, patre autem carissimo adhuc superstite laetor. Postquam gymnasium quod Coburgi floret circiter sex annos frequentaui, adiuuantibus studia mea imprimis Forbergio et Tromphellero, quorum carissima nunquam ex animo euanescet memoria, Hilpertohusae examine superato Lipsiam me contuli litteris sacris operam daturus. Ibi audiui Winerum, Flathium, Drobischium, Hartensteinium, Fleischerum. Post semestre spatium Lipsia relicta Tubingae adii scholas philosophicas Sigwarti et Kornbeckii, theologicas Bauri, beati Kernii, Landereri, Schmidii, Meieri, prae omnibus uero Zelleri. Imprimis autem Arabicam linguam, Sanscritam, Persicam, Hebraicam, Chaldaicam, Syriacam apud Ewaldium tractaui, cui uiro clarissimo non solum quod quotidiana me instruxit institutione, sed idem etiam grauiter aegrotanti modo non paterno opitulatus est beneficio non possum quin maximas agam gratias. Per biennium cum Tubingae his litteris incubuissem, haud sine causa theologiam missam feci et ad humanitatis studia me totum applicaui. Antiquarum enim litterarum amori ut satisfaceret ad hanc almam

Rhenanam profectum philologiae studiosis adscripsit amplissimi philosophorum ordinis illo tempore Decanus Noeggerath. Hic duumuirorum clarissimorum, seminarii philologici moderatorum, Welckeri et Ritschelii singulari beneuolentia inter sodales eius seminarii sum admissus. Quantas praeterea debeam his uiris gratias, quos humaniores dicas an doctiores iure quodam tuo possis dubitare, quique aditum ad se familiariorem mihi patefacere non sunt dedignati, uerbis exprimi nequit. Sanscritica Lassenius et Gildemeisterus, idem Gildemeisterus etiam arabica mea studia singulari benignitate moderabatur. Praeterea Dahlmanni, Loebellii, Aschbachii scholis historicis, philologicis Heimsoethii et Duentzeri interfui, quibus omnibus, optime de me meritis debitas persoluo gratias.

SENTENTIAE CONTROVERSAE.

I. *Romanorum littera f non est aspirata.*

II. *Graecum ζ nunquam respondet soli litterae j linguarum cognatarum.*

III. ε *nunquam ponitur pro j uel* ν.

IV. यु, युज्, *lat. jug e* द्यु, द्युज्, *djug* (ζυγ = δjυγ), *hoc uero per metathesin e* द्वि, द्विज् *ortum.*

V. वि *persice sonat* ڤِ, پَیْ, *contra est sanscr.* प्रति, *ita ut falso componat Vullers (gr. pers p.* 104) پَیْ *cum* वि *praef.*

VI. *Locus Theocriti XI,* 22 *sic est restituendus:* φοιτῇς δ' εὐθὺς ἰοῖσ' κ. τ. λ.

VII. *Romanorum et Graecorum linguae in ea re commode sibi possunt opponi, quod prior aspiratis omnibus caret, spirantes habet, altera aspiratas seruat, spirantes plerumque extrudit.*

VIII. *Ad intelligendam eam partem grammaticae comparatiuae, quae ad formandorum uerborum rationes spectat, armeniacae linguae cognitio maximi est momenti.*

IX. *Linguae semiticae multo minus aptae sunt quae inter se comparentur quam indogermanicae.*

X. *Ars critica sine studio eius, quae proprie dicitur, philologiae probe disci nequit.*

